



**Q**Vam dulce honestumque literatum sit otium, sensit praeter alios etiam uir prisca moris, multarumque uirtutum laude nobilissimus, Melchior Gaspar VVinclerus, qui alios doctos praecclarosque homines secutus, honores, cum ei paterent, non petiit, sed cum uitae cursum tenere satius duxit, ut in negotio sine periculo, et in otio cum dignitate esse posset. Iam dudum inter sapientes eruditosque uiros disceptatum est, utra uita probanda maxime sequendaque sit, an ea, quae in luce publica negotiisque agitur, an, quae reipublicae procuracionem fugit, et per otium quietemque effluit, atque in sola contemplatione uersatur. Sunt, qui negotiosam et publicam otiosae atque priuatae praeferunt: nec desunt alii, qui lenem hanc tranquillamque alteri, multis periculis laboribusque obnoxiae, argumentis haud contempendis anteponere student. Sunt etiam, qui de utraque ita iudicant, ut eorum, qui negotiis publicis carent, uitam tutiorem iucundioremque, ac minus molestam esse arbitrentur: eorum contra, qui ad rempublicam sese, et ad res domi forisque praeclare agendas applicauerunt, societati humanae utilitorem, atque ad amplissimos honores consequendos aptiorem censent. Quemadmodum autem nemo hominum adeo perfectus inuenitur, in quo non unum alterumue desideretur: ita etiam humanae uitae ratio comparata est, ut nullum uiuendi genus facile dixeris, cui non aliquid ad summam perfectionem deesse uideatur: atque in hac rerum omnium imbecillitate ea uita potior habenda est, cui quam minimum deest. Quare in deligendo uitae genere iudicium adhibendum est, neque cum Epicuro, qui in tranquillitate et uoluptate animi summam hominis felicitatem ponebat, sapientemque suum a publicis negotiis prorsus abstrahebat, uita negotiosa omnino improbanda est: neque etiam cum Stoicis honestum otium, placidumque uiuendi genus sic fugiendum, ut nulli hominis aetati uacacionem permitteremus, sed quoscumque, negotiis quasi obrutos, mori iuberemus. Media potius incedendum est uia, eaque uita optima putanda, ad quam natura ipsa nos inuitat, aut quam aetas, aut fortuna, aut reipublicae status sequendam, suadet. Non enim una eademque omnium hominum natura est atque ingenium: alii enim infirmiores sunt, atque ad res agendas, ad molestias perferendas, atque ad pericula subeunda impares, qui tamen ad considerationem contemplationemque naturae et sapientiae satis apti. Haec causa fuit, cur Isocrates, qui ipsemet in otio literato, quam in republica, uiuere maluit, Ephorum manu a foro retraxerit, quod ipsum ad historias scribendas, quam ad causas orandas, aptioremprehendit. Archytas e contrario ad rempublicam capefendam a Platone excitatur, propterea, quod ipsum ciuili et prompto esse ingenio uidet philosophus. Quam multi in iuuentute crebros ac longinquos discursus, scientiae comparandae causa, in disiunctissimas ter-

ras fecerunt, senectutem uero in honesto otio, atque in ueritatis, optimarumque artium ac disciplinarum studiis consumserunt, ut Thalesis, Pythagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis, aliorumque exempla testantur. Tandem etiam fortuna non est una eademque: mutat saepe reipublicae status: incidunt difficilissima tempora. Tum alius, cum Tit. Pomponio Attico, non inertia, sed iudicio fugit rempublicam, quod uidet, honores, neque peti more maiorum, neque capi posse conseruatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e re publica, corruptis ciuitatis moribus. Alius, cum L. Pisone, apud Tacitum altero annali, ambitum fori, corrupta iudicia, faeuitiam oratorum, accusationes minitantium increpans abit, et cedit urbe, uicturus in aliquo abdito et longinquo rure. Alius, cum Petro Pithoeo, prodesse, quam praeesse mauult, atque cum dignitate in otio ita uiuit, ut consilio, ope, et opera multis praefecto sit, ac rem literatam scriptis illustret. Perbeati tales iam olim Tullio uideri solebant, qui ualde exoptabat sibi tempus illud requiescendi, atque animum ad praecleara studia referendi: quam uero spem cogitationum et consiliorum suorum, cum graues communium temporum, tum uarios domesticos casus saepius fecellisse, dolebat. At enim otii desiderio ab re publica recedere ignauiae esse uidetur, cum sapientem nihil magis dedecet otio. Ita sane esset, nisi otium suum sic locaret idem, ut, cum ciuitatem opera quidem sua iuuare non amplius queat, consilio tamen et studiis humano generi professet. Namque aliae uirtutes in otio languent potius, et quasi confenescunt, contra ea in negotio, et in rebus asperis ac duris uires accipiunt magis magisque, atque enitent: sapientiae autem et eruditionis longe alia ratio esse solet. Haec enim quiete et tranquillitate alitur, et incrementa capit, et cum otiosa esse uidetur, maxime negotiosa est: in obscuro uero latens claret egregie atque splendescit: et cum re publica sese abdicasse putatur, tum demum uberrimos reipublicae fructus producit. Quoniam sapiens quoque haud ignorat, non tantum negotii, sed etiam otii extare rationem oportere, nunquam minus otiosus est, quam cum otiosus esse uidetur. Huiusmodi uitae institutum tenuerunt antiquitus Socrates, Plato, Xenocrates ille Chalcedonenfis, Aristoteles, Theophrastus, tot alii, quorum uita priuata et otiosa usu quasi publica, et maxime negotiosa fuit. Nam tamen etsi abstinerunt a re publica hi uiri sapientes, multos tamen ad rempublicam regendam praeuoluerunt, praeceptisque suis instituerunt. Expers erat reipublicae Polybius, cum Scipionem sequeretur, eius tamen potissimum consiliis tantam laudem consecutus dicitur Africanus. Arius Alexandrinus, et Athenodorus ille Tarsensis Romae, in aula Augusti Caetaris, aliis fortasse otiosi uidebantur, a quibus tamen rector orbis terrae regebatur, tantaque princeps ille maximus res domi forisque, illorum potissimum consilio, gessit, ut exterarum gentes eundem admirarentur, ipsique fasces sponte summitterent. Idem ille Athenodorus, apud Senecam de tranquillitate ani-

FK 2/ 560

X3387084

mi, praeclare, ut mihi quidem uideatur, de uita otiosa disputat. Quia in hac, inquit, tam insana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta simplicitas est, et plus futurum semper est, quod obftet, quam quod succedat, a foro quidem, et publico recedendum est: sed habet, ubi se etiam in priuato lare explicet magnus animus. Et interuallo quodam, ita tamen, pergit idem, delituerit, ut, ubicunque otium suum absconderit, prodesse uelit et singulis, et uniuersis, ingenio, uoce, consilio. Nec enim is solus, addit laudatus philosophus, reipublicae prodest, qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace belloque censet: sed, qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia, uirtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit, et, si nihil aliud, certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus praestat, utor eiusdem philosophi uerbis, qui inter peregrinos et ciues, aut urbanus praetor, praecuntibus assessoribus, tria uerba pronunciat, quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid Deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia. Cetera, quae de otio honesto, et hoc in loco, et alibi apud Senecam, leguntur, nunc dimitto. Lectu quoque digna est epistola, in qua Plinius Minutium Fundanum suam ad studium, et otium literatum hortatur, atque dulcedinem illius ac suauitatem commendat. Namque in Laurentino suo Caius Secundus aut legit aliquid, aut scribit, aut etiam corpori uacat, cuius futuris animus sustineatur. Nihil audit, quod audisse, nihil dicit, quod dixisse poeniteat. Nemo apud se quemquam sinistris sermonibus carpit: neminem ipse reprehendit, nisi unum se, cum parum commode scribit: nulla spe, nullo timore sollicitatur: nullis rumoribus turbatur: secum tantum, et cum libellis loquitur.

Talia secum quoque reputans diuus noster VVinclerus, uitam eiusmodi rectam sinceramque sectatus est, ac studiis otioque honesto se tradens, praeter alias uirtutes, insigni quoque, ut in alios egenos, sic etiam in collegium scholasticum Zittauiensē, liberalitate sua, perennem nominis sui memoriam reliquit. Ad quam pia grataque mente, breui quadam, de otio sapientis, oratione, renouandam, magnificos atque amplissimos patriae Patres, ceterosque Literatos, cuiuscunque sint ordinis, ac dignitatis, nobilissimos, ut futuro Martis die, hora VIII, in acroaterio superiore, nisi graue est, frequentes conueniant, et beneuole patienterque nos audiant, ea, qua decet, obseruantia atque humanitate inuitamus. P. P. III. Id. Iunias, qui dies in fastis sanctioribus est Dominica II S. Triados, anno, quam salus generi humano parta est, CIO IO CC XXXXI.

ZITTAVIAE FORMIS VIDVAE STREMELIAE.

Fr. 115.

Z f  
5600

Van dulce honorandus licentia in ordo...  
alios charta in eadem more, mandatumque unum...  
nobilitatis, Magister Gaspar Vincleri, qui alios...  
praeclaros homines, honores, cum ei pariter, non...  
lit. sed cum nris cultus tunc factus dicit, ut in negotio...  
pauca, et in nris cultus esse forte iam dudum...  
spicere, cuiusmodi nos dispensamus, ut nris...  
maximo honorandus in, et, cum in facta publica...  
agitur, ad, cum respiciamus, proinde, et per...  
quod, in, cum in, cum in, cum in, cum in, cum in...  
quod, in, cum in, cum in, cum in, cum in, cum in...

...ATIONEM ANNIVERSARIAM  
...N MEMORIAM  
...VIRI  
...SSIMI ATQVE AMPLISSIMI  
...IORIS GASPARIS  
...VINCLERI  
...QVONDAM VLLERSDORFIENSIS  
...T SOMMERAVIENSIS  
...FVTYRO MARTIS DIE  
...BLICE AB SE HABENDAM  
...FFICIOSE AC PERAMANTER  
...INVITAT  
...VS GOTLIBIVS GERLACHIVS  
...GISTER ET GYMNASII DIRECTOR.

